

/ Admodum Reverende Pater,

Distuli responsum dare literis Paternitatis Vestrae, datis die 30. Julii anni superioris, quia sperabam brevi negotium posse fini-  
ri, et aliquid recti a me posse scribi: sed quoniam negotia Romana,  
5 cum sint plurima, non tam breviter finiuntur, nolui diutius differ-  
re responsum. Accepi igitur a R.P.V. per D. Sigebertum literas, et  
breviculum unionis, et alias scripturas idem negotium concernentes.  
Sed jam non semel de hac re in Congregatione Sancti Officii collo-  
quuti sumus: et probavimus diligentiam, et ingenium, ac judicium D.  
10 Sigeberti. Et quamvis nondum sit res tota ad exitum perducta, tamen  
speramus brevi omnia finienda, et D. Sigebertum, reconfecta, cum  
gaudio ad vos reversurum. Dominus Anselmus, qui pro Cassinensibus  
agit, non nihil resistet: sed cum Cassinenses tam procul absint ab  
Anglia, fortasse non erit inutile, ut non adjungantur Congregationi  
15 Anglicanae, et satis erit, si Angli ex Hispania, Gallia et Belgio  
in unum convenient, et conjunctis viribus in eodem spiritu adori-  
antur portas inferorum, quae cum sanctis in Anglia bellum gerunt.  
Valeat R.P. Vestra mei memor in sanctis precibus suis. Romae 22.  
Martii, 1616.

20 Admodum R.P.V. uti frater in Christo

Robertus Cardinalis Bellarminus.

---

Clem. Reynerus. Apostolatus Benedictinorum in Anglia. Duaci, 1626.

Appendix p. 21: Exemplar litterarum Ill<sup>mi</sup> Card. Bell. ad

R.P. Leandrum Vicarium Missionis Generalem.